

IX.

De Oliveto Andreae Gryphii

scripsit

Dr. Fr. Strehlke.

Quum suo jure hoc tempore omnes fere persuasum habeant Latinae recentioris aevi poësi non nimium pretium esse constituendum, tum id ipsum magis etiam eo firmatur, quod maxima doctorum pars non jam versatur in Latinis versibus faciendis. Sunt quidem, qui illi sententiae longe lateque diffusae repugnent. Nam, ut unum protinus exemplum afferam, cujus auctoritatem contemnere non liceat, Herderus in libro, qui „Voces gentium“ inscribitur, non solum Jacobi Baldii permulta, complura Sarbievii aliorumque carmina in nostram linguam transtulit, sed etiam mirificam iis tribuit laudem; neque, ut ceteros omittam, P. A. Budikius ¹⁾ et R. Falkius, qui nuper Joannis Secundi basia vertit, a diversa sententia videntur profecti. Restat, ut eorum quoque mentio fiat, qui principum hujus aetatis poëtarum opera quaedam, ut Schilleri, Goethii, Uhlandii Latina lingua expresserunt, quos putandum est speravisse fore ut, linguae veteris praestantia illis addita, suaviter animi nostri afficerentur. Sed utcunque se res habet, Herderi aliorumque laudes tantummodo ad perpaucos pertinent, et haud scio an illi Germanicorum poëmatum interpretes hoc unum vel maxime egerint, ut eximia Latinae linguae cognitionis specimina ostendant.

Quamobrem ne ego quidem, quum Latinum Andreae Gryphii poëma mihi tractandum proposuerim, timeo, ne a quo immodicus Latinae recentiorum poësis admirator habear, quippe qui semper verum poëtarum honorem non in imitando, sed in inveniando esse existimaverim. Huc aliud etiam accedit, quod metum, si quis erat, funditus mihi eripiat; nam, etiamsi illud, de quo mihi disserendum statui, carmen multis aliorum praeponendum esse puto, non tamen ob id ipsum et unum dignum videbatur, quod multorum animos in se converteret. Imo verae causae, quibus adductus illud aggressus sim, aliae fuerunt.

Ac primum quidem, quum jamdudum studio XVII. saeculi poëtarum tenerer, saepe aegre tuli, eos quoque, qui egregiam putantur de talibus rebus habere facultatem judicandi, nimis severam illorum censuram agere consuevisse. Parum enim animos attendentes ad difficultates, quibus impediti illi, quos dixi, poëtae plane novam viam ingressi sint, non cognoverunt eos multis in rebus errasse, quod lingua utebantur rudi incultaque et aliarum nationum imitabantur exempla. Quomodo igitur juste de illis judicari

potuit, quibus, quae in sententiarum nexu, in junctura verborum, in tropis figurisque adhibendis peccavissent, crimini verterentur? Itaque bene et feliciter evenit, ut ii ipsi poëtae, quorum Germanica poëmata vituperationem fugere non potuerunt, quaedam Latine scripta reliquerint. Jam enim nihil impedit, quominus diducamus, utrum omnino a sensu elegantiae et venustatis alieni fuerint an vitia orationis, in quae incurrerint, in linguae domesticae inopiam sint conferenda. Quamobrem, quum Latinam recentiorum poesim ad supplendum de nostra iudicium adhibeamus, simul fines circumscribuntur, ultra quos ejus laudatori progredi non licet.

Altera vero causa, qua commotus illud potissimum argumentum elegerim, etsi multum ab ea differt, quam modo dixi, tamen magis etiam mihi idonea videtur, quae prorsus me propter propositum meum expurget. Andreae Gryphii enim, cujus tragoedias et comoedias nemo ignorat, epicum quoque carmen exstat, idque satis longum et amplum, quod viri docti, quum a nemine aut visum aut lectum esset, ejus generis poëma esse nesciebant²⁾. Illud opus rarissimum, quod „Olivetum“ inscribitur, ex Bibliotheca Meusebachiana in Regiam Berolinensem translatum, in manibus erat, et eo cupidius putavi occasionem mihi esse arripiendam, qua ab aliis quoque cognosceretur, quum, quod equidem sciam, unum tantum ejus exemplar usque ad hunc diem inventum sit. Itaque quum illos quoque suam de Oliveto sententiam pronuntiare velim, ut videam, utrum nimis illud admiratus sim necne, una tamen in re spero omnes consensuros. Neque enim quisquam negabit, Olivetum, quum jam argumento multum a ceteris illius aevi poëmatibus differat, dignum fuisse, quod iterum in lucem revocaretur.

Sed, antequam ad carmen ipsum accedam, pauca mihi de Gryphii vita et studiis videntur praemonenda. Is, quum jam inde a puerili aetate Goerlicii Glogoviae Fraustadii Graeca atque Latina lingua esset eruditus, duodeviginti annos natus Gedanum concessit, ubi civibus tum academici Gymnasii adscriptus celeriter in litterarum studio progressus est. Neque tamen Latina neque Germanica quae eum illa juvenili aetate condidisse constat carmina ad nos pervenerunt; nam illud unum, cui annus 1627 in recentioribus inscriptus est editionibus, errore tantum typographico undecim annorum puero assignatum esse alio loco docui³⁾. Sed quum noster, postquam Gedano in patriam rediit, filios G. Schoenbornii ad studia academica praepararet, jam accuratius sibi in utriusque linguae versibus faciendis studium ponendum statuit. Ut alia omittam et „Freistadii incendium“, quod Latine et Germanice descripsit, et disputatio „de igne non elemento“ illo tempore facta sunt, quibus in tantam apud suos famam pervenit, ut Nonis Novembribus anni 1637 in eum poëtae Caesarei honores conferrentur. Sed non multo tempore interjecto Catholici praecipue illius regionis tantum in eum odium conceperunt, ut, quum Schoenbornius quoque, quo usus erat patrono, mortuus esset, non jam sibi tutum ratus in Silesia commorari, Lugdunum Batavorum migrandi consilium caperet. Cujus invidiae quae causae fuerint, non satis apparet. Neque enim ea, quae nono anno post in epistola scripsit, quum secundum odarum librum Schoenbornii filio, quem amicitia sibi conjunxerat, dedicaret, multam rei lucem afferunt. „Licuit sane, inquit, Juveni in publicum apud vos produci, nec scio quo fato una atque altera actio subitum adeo mihi summorum conciliavit amorem. Ut primum vero versus ad texendam cladum nostrarum seriem, infestaque virtuti tempora et squallentes tot oppidorum bustis agros rudi penicillo adumbravi: non obtrectationi sed periculo fuit tot testium fide, tot Celeberrimorum ope suffulto. Advertere aures tuas hostium minae, spectasti discrimen, quod instabat, cum tot inter infensos animam traherem.“ Itaque aestate anni 1638 Gryphius Lugdunum Batavorum se contulit, urbem et eruditissimis tunc hominibus affluentem et ab armorum strepitu satis remotam. Quibus tamen ibi studiis deditus fuerit, quas praelectiones habuerit, et nimis longum et a proposito nostro alienum est enumerare; magis enim spectandum est, quantam in Latina poësi curam posuerit. Jam multa, quae tum edidit, opuscula

Latinis versibus usus amicis dedicat: quorum quamquam maxima pars admirationem nostram non valde movet, unius tamen carminis mentio est inferenda, cui primo Epigrammatum libro praescripto lepos et acumen inest:

Dum salsum me fama notat, versusque dicaceis ⁴⁾
 Ille meos Censor, Censor et iste fremit:
 Rumpo moras, promoque meas, Epigrammata, nugas;
 Jam scio me salsum Fama sinistra negat.

Sed ad majora venio; nam a Gryphio, priusquam itineris per Bataviam Galliam Italiam faciendi causa Lugduno cessit, illud, de quo jam ante dictum est, Olivetum compositum esse verisimile est. Neque enim fieri potuit, ut in ipso itinere animo alienis rebus districto ad magnum atque arduum opus se conferret, et in „Diario“ ⁵⁾ ipse narrat, se Olivetum Florentiae imprimendum curasse ac pridie Idus Majas anni 1646 senatui reipublicae Venetiae tradidisse.

Jam quum ad ipsam, de qua dicere volo, rem pervenerim, prima disputationis pars in enarrando argumento versabitur, ut iudicii in altera parte faciendi alios quoque vel participes vel adversarios habeam; poëtae enim ingenium atque acumen aliqua ex parte etiam in rebus inveniendis et disponendis cognoscitur.

Initio primi libri Gryphius preces adhibet, ut divino spiritus sancti inflatu arreptus Christi dolores et discrimen canat:

Si mea te sine mens furva caligine noctis ⁶⁾
 Caeca labat, correpta tuis, precor, ignibus ure
 Pectora, vibratisque meas dispelle tenebras,
 Dulce jubar, radiis, ventoque per alta carinam
 Aequora ad optatos portus impelle secundo.

Tum primorum hominum a lege divina defectionem repetens, quae illo tempore Dei ira prodigia sint facta, docet: quam ut permulceret, Christum jam diu multumque animo esse versatum. Coelo igitur illum relicto humana specie indutum in terram venisse, ut post vitam inter paupertatem atque duros labores actam pro hominum peccatis sanguinem profunderet. Neque tamen illam poëta pluribus verbis depingit, sed timens ne a re proposita aberret, se ipse incitat, ut ad illud tempus perveniat, quo ultimum Christo et amicis ejus festum paschale agendum erat. Jam enim opere asserendorum hominum prope ad finem perducto exoriuntur, qui Dei et Redemptoris voluntati repugnent. Ac primum quidem Vindicta, pro persona inducta, quae foederis antiqui partes suscipiat, ex latebris prosiliens, in quas se abdiderat, ad Olympum tendit, ut, quae olim humano generi promissa erant, irrita faciat. Qua in re mirifico artificio coeli imago depingitur; nam etiamsi pauca ab Ovidio aliisque poëtis sumta esse apparet, plurima tamen ex nostri poëtae ingenio originem duxerunt. Sed audiamus ipsum:

Qua suprema patet stellantis regia mundi, ⁷⁾
 Et puri sine sole dies, sine mensibus anni,
 Temporis atque expers tempus, sine felle voluptas
 Stat thronus aeterno sedes firmata Tonanti.

Et paullo infra:

Celsissima summo ⁸⁾
 Diffulget splendore domus, quem nulla sereni
 Fax radiante tremore poli, non annifer aequet

IX. a.*

Phoebus; adorandum circumdant mille tribunal,
 Millia pennigerum, celeresque ad singula, nutus
 Observant peraguntque Dei; pars carmina nervis
 Accinit; immensum pars admirata parentem
 Expleri nequit intuitu.

Jam si, quae auctoris verba attulimus, spiritus poetici argumento sunt, quae sequuntur vitio non carent, ad quod aetas illa nimis propensa erat; omnium enim fere virtutum notio numque universalium personae Dei solium circumstantes effinguntur; in quibus, quid „vitae aequaeva potestas perpetuae“ et „casti tenax vis ardua floris“ sibi velint, ex ipsis verbis vix satis intelligitur.

Per hos Beatorum ordines progressa Vindicta, ubi propius accedere jussa est, a Deo petit, ut indomita hominum gente eversa ex fontibus ipsis toties damnatum exhaurire nefas sibi liceat. Sed Deus memoriam fidei hominibus datae repetens et sibi conscius, quaecumque pereant res creatae, creanti eas perire, illi imperat, ut iram atque furorem in novissimi judicii tempus differat.

Inter haec caelo vesperascente, Sol et ipse tristis, Christo lumine mundi perituro, ut poetae verbis utar, occiduas domos petit, dum ille cum sociis Cidri vallem intrat. Jam loci amoenitates non rudi adumbrat Gryphius penicillo, ita loquens:

Ultra, mite solum, Bacchique opulenta superbit ⁹⁾
 Gethsemane et densis glebam vestitur olivis.
 Illic laeta comas myrtus, gracilique cupresso
 Fortior enormis cedrus, nec pondere victum
 Robur et aeternae felici germine lauri.
 Pubescunt virgulta rosis; humus alma ministrat
 Sponte crocos prasinumque nitens diffundit odorem.
 Nec minus innumerae vario certamine ramis
 Insultant passim volucres, queruloque nigranteis
 Demulcent cantu tenebras, aut blanda salutant
 Sidera vel reduci applaudunt super aethera Phoebos.

Christo tamen fati imminentis cura graviter commoto non vitae dulcedo, sed acerbitas mortis ante oculos obversatur, et dum secum reputat animi humani imbecillitatem, socios quoque cohortandos ratus, ne se calamitate et doloribus oppressum derelinquant vel prodant, haec dicit:

At ne cede malis, quamvis truculenta minentur ¹⁰⁾
 Fulgura, luctantisque tremant freta turbine Cauri,
 Gens mea! nam tumuli victor barathrique necisque
 Eversis stygis imperiis ac Dite subacto
 Aspiciam laetos hilares.

Quae sequuntur ab iis non recedunt, quae scripturae sacrae verbis continentur; Petri vero illud:

Insiliant hostes, tormenta fatigent! ¹¹⁾
 Destituat comitumque manus inimicae crescant

Jurgia, lethales nex exerat ipsa sagittas!
 Stat tecum mihi, Christe, mori. Concussa dehiscat
 Terra, vel afflatum vibrata tonitrua corpus
 Transadigant, si fallo —

documento esse potest, quomodo Gryphius veram poesis vim superjectionibus rebusque in majus augendis se putet assecuturum; Evangelistae enim omnes in eo consentiunt, Petrum nihil dixisse nisi se pro Christo mortem aut vincula subire paratum esse.

Sed Judas, dum reliqui omnes inevitabile Christi fatum sibi ante oculos proponentes magna afficiuntur sollicitudine, jam id agebat, ut eum hostibus ad supplicium traderet. Verba quoque, animi a Numine divino et pietate abalienati indicia, erumpunt. Nam quum ille Bethaniam ivisset et a Simone, cui Leproso cognomen fuit, hospitio exceptus permagni pretii nardis unctus esset, Judas aegre fert, quod „prodiga ambitio tantos census laceret“. Magis etiam exacerbatur Christi ipsum reprehendentis, laudibus contra Mariam efferentis voce. Neque tamen Gryphio causae in Evangeliiis allatae sufficere videntur, quibus ille ad facinus impellatur. Itaque veterum poetarum more personam effingit Proditionis, quae sub Maonis, qui nuper a Christo defecisse putatur, specie cunctanti stimulos admoveat. Sed quamquam negari non potest, multa a Gryphio esse inventa, quae apte ad hanc rem exornandam adhibeantur, nimis diu tamen commoratur in latebris animi ejus describendis; nam tantum abest, ut celeritatem quandam actionis appetat, ut plus centum versus hoc in uno consumat. Ad extremum vero Judas, tametsi clare intellexerat Christum non ignorare, quid ageret, media nocte ad Pontificis Maximi domum contendit et locum docet, quo ille reperiri posset. Quo facto Caiphaz Senatus et Sacerdotum concilio convocato, ubi Malchum militum atque servorum agmini praefecit, omnes Judam ad Olivetum sequi jubet.

Secundo libro tale argumentum est propositum, ut poeta nimis consuetus horrenda in conspectum producere, illi studio praeter modum obsequi potuerit. Orcum enim describit et infimas terrarum cavernas; quas ingressa Lex divina, omnes, qui ex Dei judicio sempiternas sufferunt poenas, de sedibus suis excitat et ad Christi animum pertentandum in terram ascendere jubet.

Dicto audientes Poena, Erinyes, Mors, Lues, Tyrannis se prouunt, nec non ingenti aliorum caterva comitante Fames, Sitis, Desperatio; in quibus quum major pars quam subtilissime depicta sit, tum summa videtur cura ad Desperationis faciem designandam adhibita; quod indicant verba:

Ultima vulnifico sequitur lacerata fluentis ¹²⁾
 Ungue genas, pectusque brevi confossa sarissa,
 Sanguine perque sinus vulsasque errante papillas
 Saevior aeterna cruce Desperatio, lentis saevior
 Eumenidum stimulis, quam nulla profundi
 Supplicia aut fragici valeant aequare furores.
 Nec morsu frendente atram discerpere linguam
 Abstinet aut labio scelerante incessere summum
 Numen et effraeni superos illudere sanna.

Ac dum illa turba per aëra fertur, Christus in oliveto commoratus, sociis admonitis, ut et ipsi vigilantes assiduas preces suis jungant, paullisper ab eorum conspectu recedit, Deum precibus aditurus. Cui precanti mirum subito objicitur ostentum; Amor enim divinus a nitidis Superiorum oris delapsus sacram

ei pateram summo factam artificio porrigit, in qua Abrae sacrum, venditio Joseph et quae quibusdam ex prophetis acciderunt, caelata aspiciuntur; continet illa in se omnium peccatorum atque scelerum signa. Qua ille accepta quum animo confirmatus ad socios redisset, illos in gramine stratos somnoque sopitos invenit: excitos docet, quid periculi immineat, et ad Deum versus se ad omnia paratum esse ostendit. Jam vero gehennae agmina se Christo inferunt, sperantia fore ut afflictam ejus mentem labefaciant. Neque tamen, quum multa frustra tentassent voti compotes facti sunt inferi, sed corporis tantum viribus ut languorem afferant, efficiunt. Sanguine ex omnibus venis in terram defluente ille subito torpore correptus concidit. A summo vero, cui succubuerat, dolore, novum monstrum originem trahit; nam qui antea lacte atque nivibus purior fuerat violarum color, is divino cruore in purpureum mutatus est, ita ut vel innocui flores perenne luctus monumentum exhiberent. Ipsius autem Christi artus gelidos Superorum agminis eximius dux alis fulgentibus in terram delapsus ad vitam revocat; et, ubi animus una cum corporis viribus rediit, eum commonefacit, quanta sibi proposuerit et quam prope ad operis perfectionem et exitum accesserit. Jam hic humo se tollit et excitatis sociis iterum somno arreptis, talibus Deum alloquitur:

Exigis ergo meum, Genitor venerande, cruorem ¹³⁾
 Et prolis suprema tuae? Madet, aspice, tellus
 Sanguine labentemque animam lethalibus urget
 Mors jaculis, diroque Erebi mens anxia luctu
 Aestuat et stygiae involvunt cava tempora noctes.
 Sed, si tanta sacro minor est vindicta furori
 Nec litat iste dolor: jam nil, Pater alme, recuso.

Reliquum est, ut, quid tertius liber contineat, exponatur; in quo Gryphius, quamquam ab Evangelistarum narrationibus non discrepat, ita tamen sibi indulget, ut et complura ab aliis historiae sacrae scriptoribus mutuatus sit et ipse non pauca excogitaverit. Etenim statim ab initio Joannem somnium facit videntem, in quo Christus a Juda proditus et cruci suffixus ejus animo et oculis obversatur. Ipse gravissime commotus obstantes militum turmas sibi videtur perrumpere: quo facto languore confectus arcto complexu truncum roboris tenet, dum Christus, quem procul videt, consolatione ipsius dolorem leniat. Jam vero, quae cogitatione praeceperat, ad effectum adducuntur. Somno excitus oculis catervas aspicit a Calpha missas, ut Christum comprehendant. Nec ille se hostibus eripit; sed rogantibus, ubi Jesus sit: Palam, inquit, adsum, quem quaeritis. Quo dicto sacro tempora fulgore ambiente, milites illum et vultu et incessu Deum esse praesagientes repente concidunt, neque antea ex metu se reficiunt quam et ipsi furiarum stimulis iterum impulsus Judam videant osculo Domino occurrentem. Ecce nova iis movetur admiratio: audiunt enim Christum loquentem, qui Juda graviter coram omnibus reprehenso ipsorum quoque incusat ignaviam talibus verbis usus:

Viri, quid operta paratis ¹⁴⁾
 Proelia? non tenebras fugitivus aut invia praedo
 Sector aut exosus lucem squallentibus antris
 Invisam occulto faciem.

Et:

Si tanta reum vincere cupido ¹⁵⁾
 Tum decuit, cum larga meo pendebat ab ore
 Turba, redivivum cum rupto carcere mortis
 Reddidimus superis caecique ab origine vultus

Ignotam stupere diem, cum tabida languor
 Pectora et exhausto ad jussa relinqueret artus.
 Nempe operi, radiata polo dum lumina mundum
 Illustrant, instare meum est. Vos improba turpes
 Nubila et infames delectant noctibus umbrae.

Quibus auditis Petrus magis etiam animo confirmatus gladio stricto Malchum, Pontificis servum, aggreditur; cui caput elisisset, nisi averso vultu petitionem effugeret. Quo tamen vulnere auris ejus abscissa est, id Christus Petri ira repressa manibus impositis sanavit.

Jam Gryphius historiam eorum, quae Christus passus est, ad eos fines deduxit, quos excedere ei non licuit, nisi a proposito aberrare vellet. Abrepto enim illo ex Oliveto, dum socii fugae se mandant, non fuit, quod amplius scriberet. Neque tamen carmen apte conclusuro dubitatio movetur, quid faciat; sed divino quodam spiritu incitatus id amplectitur, quod unum reliquis erat praeponendum. Tota enim mente prisca repetens, illud nobis tempus ante oculos ponit, quo prophetarum vaticinationibus Christi in terram adventus praedicebatur. Itaque paullisper commoratus in prodigiis, quae ipsam naturam dolore propter Redemptoris mortem commotam edidisse ostendit, reliqua Cidrum loquentem facit, Deum fluvialem pro persona inductum. Ubi ad eum Nymphae filiae et ipsae iis, quae viderant, portentis perterritae convenerunt, aspiciunt urna delapsa humi jacentem, vestes laceratum, horridum comas; sed simulac se ipse ad se revocavit, qui rebus humanis finis venerit, docet:

Extremo res summa loco: scelerata cruentas ¹⁶⁾
 In sua colla manus gladiis rutilantibus armat
 Factio, flagranteisque ruit Deus ultor in iras,
 Et versis nato Solymis regnique parentat
 Funere. Quid picea fuscam caligine coelum
 Praecipitemque retro Phoeben taboque rubentes
 Exhorretis aquas? Jam celsus in aethere Titan
 Expertes radiorum oculos squallentibus umbris
 Damnabit, dum saxa quatit terrasque nocentes
 Terribili fragor interior diffindit hiatus,
 Dum fractis animae bustis truculenta queruntur
 Supplicia ac tristi suffixum stipite Numen.
 Jamque instat volvenda dies, qua merget in atras
 Disjectam flammam Solymen.

Sed Cidrus dum accuratius Hierosolymorum excidium describit, tamquam fortuna, non arte ductus in eas, quas David olim cecinerat, res futuras incidit; quibus in referendis Gryphium praecipue psalmorum nonnullos imitatum esse apparet. David enim, etsi ab Absalom regno depulsus anxius de sua ipsius fortuna fuit, tamen, quum ad Cidri ripam assedisset, amicos, qui secuti erant, tum admonuit, ne nimis propter se dolerent, a nefando filio regno privatum. Quae locutus ita pergit:

Vesania major ¹⁷⁾

Imminet atque alias poscit terrasque polosque
 Rex melior lachrymas. Quo te precor, alma Tonantis

Progenies, quo cogit amor, quis me impetus aevi
 Abripit in seriem, trepidoque ignota recludit
 Secula? Ten' video, Sanguis meus? ite revulsis
 Arboribus umbrate vias, date lilia gentes
 Nexilibus date sarta rosis! Hosianna! Deorum
 Ille Deus, Deus ille venit!

Et sane reclusa videntur saecula: mente enim vehementer incitatus, quae in asserendorum hominum opere summa sit, docet, mortemque Christi non oculis subjicit, sed ad praesagium reducit. Ad summam vero animi inflammationem perducitur, quum Christi in coelum reditum describit. Omissis igitur iis, quae postea de Judaeorum execratione et de Nympharum luctu dicuntur, hi imprimis versus videntur digni, qui nostram quoque argumenti narrationem ad finem adducant:

En fracto redivivum Acheronte phalanges ¹⁵⁾
 Aetherae circumvolitant. Celebrate triumphos
 Numinis invicti festoque insignia plausu
 Carmina et argutis superi distinguite nervis!
 Jubila, io, io, jubila io! fremuere tubarum
 Augusto clangore poli, fremuere remota
 Littora fulgoribus; coelum rutilare serenis
 Conspicio, dum regna Deus suprema capessit
 Dexterio Patri aequaevo, pedibusque subactos
 Calcat et attonitos flammam displodit in hostes.

Jam ad alteram mihi quaestionis partem accedenti exponendum erit, paucis quidem et summatim, quid de Oliveto judicem: qua in re spero fore, ut eorum, qui ea, quae antea dixi, paullo accuratius legerint, auxilio uti mihi liceat. Illos enim intellexisse puto, et nonnullos poematis locos non sine magna orationis pulchritudine et elegantia esse scriptos, et partium dispositionem tali artificio esse factam, quale ab illius aetatis poeta vix exspectari potuit. Huc quum accedat, quod divina, quae rei propositae inest, vi quasi abreptus nunquam fere languescit, non dubito re diligenter perpensa contendere Gryphium multis rebus Klopstockii Messiam superasse, inferiorem esse paucis. Qua in re id tantum doleo, quod mihi angustos hujus pertractationis fines excedere nolenti non liceat, pluribus, quae sentiam, comprobare. Sed eo magis impellor, ut illa retineam, neque eadem bis dicam, quod totum librum in Germanicum conversum edere constitui. Imo vero, virtutibus, quae poemati insunt, omissis vitiorum quoque mihi mentio est inferenda, in quae Gryphium incidisse existimem. Neque tamen in illorum numero ea sunt referenda, in quibus propter aetatem, qua vivebat, non errare non potuit: quis enim est, qui dubitet, quin in Scripturae sacrae interpretatione et in illarum regionum cognitione virorum doctorum studiis et itineribus abhinc ducentos annos multa aut inventa aut melius intellecta sint? Itaque ne leviter quidem eum accusemus, quod Cidrum ¹⁶⁾ aestate semper fere exsiccatum, flumen rapidum esse velit, quod, quibus propinquitatis vinculis Simon, Lazarus, Maria inter se jungantur, ignoret! Quae vero optimo jure reprehendenda videntur, tria fere sunt.

Ac primum quidem, quo Germanica quoque Gryphii poemata legentes offenduntur vitio, id ne in Oliveto quidem effugit. Tantum enim abest, ut earum rerum descriptione absteineat, quae nimis nos

horrore atque taedio perstringant, ut eas paene sub oculos subjiciat. Quare in melicis poematis²⁰⁾ mentione facta morbi illius gravis et periculosi, quo per complures annos affectus erat, vel in singulorum corporis membrorum putredine commoratur; nec in dramatis alia utitur ratione in enumerandis Catharinae, Georgiae reginae, Papiniani, Caroli Stuardi cruciatibus. Itaque quum Famis, Sitis, Desperationis aliorumque corporis formam verbis exprimit, summo legentes horrore sibi esse perfundendos existimat. Atque quum illud vitium eo augeatur, quod superjectionibus immodice utitur, fieri non potest, quin animi nostri saepe molestia afficiantur. Ac ne quis forte putet, communem hunc illi saeculo fuisse errorem, ut unum tantum exemplum afferam, Opius, multis in rebus Gryphio inferior, in hanc partem vix quidquam peccavit. Quamquam enim ne ille quidem plane intelligere potuit, quibus finibus ars poetica recte circumscribatur, insito tamen quodam et innato sensu ea perspexit, quae longo tempore interjecto Lessingii aliorumque studiis cognita sunt.

Alterum, quo offendimur, vitium, magnus est notionum numerus, quae ut personae inducuntur. Cujus rei culpa licet in Vergilium ceterosque, quos imitatus est, poetas sit conferenda, nemini tamen dubium erit, quin et ipsi erraverint. Viribus enim poetam ipsius artis propriis defici apparet, quum eam sibi necessitatem injungi patiatur, ut aut homines notionum universalium, aut notiones universales hominum speciem prae se ferant. Attamen, si paullo accuratius Vergilius cum Gryphio comparatur, multum videtur inter utrumque interesse. Nam apud illum et apud Ovidium, si quas effictas habent personas, eae non ad actionem epicam pertinent sed videntur ornandi gratia adhibitae, quod ex coeli descriptione secundo Metamorphoseon, ex Orci quinto Aeneidis libro facile intelligitur; neque illi saepe novas inveniunt, sed iis utuntur, quae pervulgatae omnibusque notae erant. Noster autem neque eandem eligendi rationem sequitur, et in re ipsa ultra modum progreditur; quo fit, ut multo saepius a recta via aberret. Quocunque enim oculos convertimus, sive in Coeli, sive in Orci descriptionem, sive in ipsas actionis epicae partes, ubique in effictas incidimus personas; quin etiam inter eas Vindictae, Poenae, Amori divino non secundae partes datae sunt. Aliae vero, quas obiter tantum Gryphius commemorat, adeo relinquuntur in incerto, ut notio earum vix animo comprehendi possit. Huc accedit, quod poeta, quum hasce personas humano corpore et ingenio exornet, saepe eo redigitur, ut ea delingat, quae ab ipsis maxime abhorrent. Sic Vindictam plus triginta versibus depingens id agere videtur, ut sensibus legentes voluptatem percipiant. Quid enim illud:

Intactas, quid membra nives, quid eburnea mirer
Pectora et in vestem tunica refluxente papillam?

Nec non Proditionis faciem pulcherrimam decor ornat, quamvis oculi sanguineis lituris horridi sint.

Restat, ut una etiam res breviter attingatur: suae enim aetatis poetarum more ad integumentum, ut ita dicam, Oliveti et veterum fabulas et quae Christianae doctrinae conveniunt cogitationes, mirum in modum turbavit ac miscuit. Sic Deus Christianus, quem semper fere Tonantem nominat, in Olympo regnum tenet: Orci, Stygis, Averni, Furiarum saepissime fit mentio. Neque tamen haec multum offensionis habent. Nam quum vel nostrae aetatis poetae, antiquitatis notitia instructi, in eam se adduxerint consuetudinem, ut veterum narrationibus et fabulis non raro utantur ad sua exornanda poemata, quanto minus id Gryphio crimini verti poterit, eo potissimum tempore viventi, quo omnium animi summo illarum rerum studio erant incensi. Ac ne quis ita ejus rationem improbet, ut eum accuset, quod de Christianae doctrinae veritate ei non satis persuasum fuerit, illius opprobrium et vita et scriptis ejus facillime refutatur. Quamquam enim nullam pietatis speciem prae se ferebat, vix quisquam reperietur poetarum Germanicorum, cujus vera erga Deum et sacra Christiana pietas major fuerit.

Exposui fere, quae maxime ad iudicium de Oliveto ferendum pertinere arbitrabar: adjiciam unum. Gryphii dignitatem et existimationem si sperare audeam, iis quae dixi auctam esse, eo majore afficiar laetitia, quod ipse nimis acer suorum operum iudex ne tragoediarum quidem, quas scripsit, posteritatem memorem futuram existimavit.

Anmerkungen.

1) Vergl. P. A. Budike: Leben und Wirken der vorzüglichsten Lateinischen Dichter des 15.—18. Jahrhunderts mit metrischen Uebersetzungen der besten Gedichte. Wien 1827; und Johannes Secundus, das Buch der Küsse. Aus dem Lat. übersetzt von R. Falk. Berlin 1858.

2) Vergl. Schriften von G. G. Bredow. Herausgegeben von Kunisch. Breslau 1823. p. 87. — Koberstein Bd. 1., p. 625. 4. Ausgabe etc.

3) Vergl. Archiv für neuere Litterat. B. 22., p. 87. 88.

4) Andreae Gryphii Epigrammata das erste Buch. Ihm Jahr 1643. Diese seltene Schrift ist in Leyden herausgekommen und ein Elzevier.

5) Ueber dies „Diarium“ des Gryph und den Werth desselben für die Lebensbeschreibung des Dichters vergl. die unter Anmerk. 3. citirte Abhandlung p. 81.

6) Um einen Beweis zu geben, dass das Olivetum selbst in der Deutschen Uebersetzung seinen dichterischen Werth behauptet, füge ich die einzelnen citirten Stellen nach derselben dem Texte hinzu:

vergl. 1., 21.

Wenn ferne von Dir in nächtlichem Dunkel

Blind hinschwankt mein Gemüth, so fleh' ich, entzünde die Flamme

Deines Feuers in mir, verscheuche durch glänzende Strahlen

Von mir des Irrthums Nacht und treibe mit günstigem Winde

Zu dem ersehnten Port mein Schiff hin über die Meerfluth.

7) Vergl. 1., 117.

Wo die erhabenste Burg der sternumleuchteten Welt liegt,

Sonnenlos, doch heiter der Tag, ohne Monden das Jahr ist,

Wo zeitlos ist die Zeit und die Reue der Freude nicht nachfolgt,

Da steht hoch der Thron errichtet dem ewigen Donn'rer.

8) Vergl. 1., 124.

Von solchem

Glanze erfüllt ist das Haus, dass nicht des leuchtenden Himmel

Fackel, die sich bewegt, dass nicht der ewige Phoebus

Ihn zu erreichen vermag. Zahllose Gestalten umgeben

Jenen geheiligten Sitz. Heerschaaren geflügelter Engel,

Hörend auf Gottes Gebot, vollführen die schnellen Befehle;

Lieder zum Saitenspiel ertönen von diesen: die andern

Sind von Bewunderung voll des unendlich mächtigen Vaters

In Anschauung versenkt.

9) Vergl. 1., 237.

Nah ist Gethsemanes Flur, die lieblich zu schauende. Dort grünt

Bacchus Geschenk und den Boden bedeckt dicht wachsend der Oelbaum.

Heiteres Myrthengezweig, auch schlanke Cypressen erblickst Du,

Cedern gewaltigen Stamms und des Eichbaums kräftiges Wachstum,

Auch in fröhlicher Kraft den nimmer verwelkenden Lorbeer.

Rosen erblühen im Gebüsch; es erzeugt fruchtragend der Boden

Krokus und Lauch von selbst, die in lieblichem Dufte erglänzen.

Auch in unendlicher Zahl im Wechselgesang auf den Zweigen
 Jubeln die Vögel in Schaaren umher; ihr melodisches Lied tönt
 Sanft im Dunkel der Nacht: es begrüßt bald freundliche Sterne
 Oder es jauchzt entgegen dem neu sich erhebenden Phoebus.

10) Vergl. 1., 283.

Stehe im Unglück fest, Du Schaar der Meinigen, wenn schon
 Schreckliche Blitze mir dräun und das Meer von des mächtigen Caurus
 Stürmen erbebt. Als Besieger des Grabes, der Hölle, des Todes,
 Wenn vernichtet die Macht des Styx und bezwungen der Hades,
 Werd' ich die Seligen schau'n voll Freude.

11) Vergl. 1., 326.

Mag andringen der Feind und der Schmerz mich quälen der Folter,
 Wenn Dich die Freunde verlassen, der Kampf noch mächtiger anhebt,
 Und wenn selber der Tod vernichtende Pfeile umberstreut,
 Feststeht, dass ich mit Dir, o Herr, will sterben. Mit Beben
 Mag sich die Erde für mich aufthun, der geschleuderte Blitzstrahl
 Mich vernichten so ich Dich getäuscht!

12) Vergl. 2., 169.

Als die letzte, zerfleischt von blutig verwundenden Nägeln
 An den Wangen, das Herz durchbohrt von schneidendem Wurfspiess
 An dem Busen voll Blut, voll Blut an zerrissenen Wangen,
 Wankt die Verzweiflung hin, die schrecklicher ist als des Kreuzes
 Ewige Qual und schrecklicher noch als der Furien Verfolgung;
 Der nicht höllische Pein gleichkömmt, noch des Dichters Erfindung.
 Mit zermalmendem Biss zerreisst sie die eigene Zunge;
 Nicht entblüdet sie sich mit lästernder Zunge den Höchsten
 Frech zu entweihn und mit giftigem Spott zu verhöhnien die Frommen.

13) Vergl. 2., 571.

Also Du willst mein Blut, Ehrfurcht gebietender Vater!
 Willst, dass sterbe Dein Sohn? Schon nahe, o sieh es, der Erde
 Mir entflossenes Blut und der Tod mit verderblichen Waffen
 Dringt ein auf das Gemüth; vor des Erebus grässlichem Unheil
 Bebt mir der Geist und die stygische Nacht umhüllt mir die Schläfe.
 Doch, wenn Schmerzgefühl nicht Deinem geheiligten Zorne
 Gleich ist, und nicht Dir genügt, o erhabener Vater, so weigre
 Nichts ich mehr.

14) Vergl. 3., 239.

Ihr rüset zu heimlichem Kampf euch!
 Nicht wie ein flüchtiger Räuber verweilte von Menschen entfernt ich,
 Heimlich versteckt. Ich entzog niemals, in dem Dunkel der Höhle
 Lebend, mich menschlichem Blick.

15) Vergl. 3., 251.

Wenn ihr mich als Schuldigen wolltet
 Fesseln, ihr musstet es dort, als in strömender Menge das Volk einst
 Meinen Worten gelauscht, als die Bande des Todes ich brechend
 Wieder das Leben verlieh, als das Auge des von der Geburt an
 Blinden den leuchtenden Tag anstaunt und meinem Gebote
 Folgend die Krankheit wich aus der Brust und den schwindenden Gliedern.
 Denn ich wirkte, so lang' am strahlenden Himmelsgewölbe
 Mir noch geleuchtet der Tag; doch euch Ruchlosen gefällt nur
 Wolkenverdüstert die Nacht mit Verbrechen beschützenden Schatten.

¹⁵⁾ Vergl. 3., 457.

Nah ist das äusserste Ziel. Schon zuckt bluttriefend die Hände
Gegen sich selbst die sündige Schaar mit funkelndem Schwerte.
Gott als strafender Rächer entbrennt voll flammenden Zornes:
Durch Jerusalems Sturz und des Reiches Zerstörung vergilt er
Christus Geschick: Was setzt euch in Furcht, dass der Himmel noch schwärzer
Scheint als die Nacht, dass Phoebe entflieht und vom Blute geröthet
Sind die Gewässer umher? Bald wird der erhabene Titan
Uns der Strahlen beraubend zu schwärzlichem Schatten verdämmen
Unsere Augen, indem die Felsen erbeben und aufthut
Sich mit entsetzlichem Klang gespalten die schuldige Erde:
Während, nachdem er das Grab verlassen, den schrecklichen Tod jetzt,
Welchen an's Kreuz geschlagen der Göttliche starb, sie bereuen.
Schon ist nahe der Tag, da in schaurige Flammen versinken
Wird Jerusalem's Stadt.

¹⁷⁾ Vergl. 3., 493.

Grössres

Unheil droht und ein besserer Fürst heischt Thränen von allen
Völkern der Welt. Wie soll ich mich Dir, der des Donnerers beher
Sohn ist, nah in Gebet! Wie bezwingt mich die Liebe, wie zieht's mich
Fort in der Zukunft Zeit! Jahrhunderte sind mir erschlossen,
Die noch ruhen verhüllt. O, seh' ich Dich nicht, der von mir stammt!
Geht, ihr Völker und schmückt mit Zweigen die Strassen und flechtet
Lilien und Rosen zum Kranz: Hosianna! der Göttlichste aller
Kömmt, der Göttliche kömmt.

¹⁸⁾ Vergl. 3., 558.

Schon hat er die Pforten gebrochen,
Und aetherische Schaaren umschweben ihn. Siegesgesänge
Ehrend der Gottheit That und sie lautpreisende Lieder
Stimmt sie, ihr Oberen an, mit dem Spiel sie der Saiten begleitend
Und der erhabene Klang vom Himmel zu fernen Gestaden
Halle er hin! Ich sehe wie glänzende Blitze vom Himmel
Leuchten, während der Gott auf den Thron des oberen Reichs steigt
Sitzt zur Rechten des Vaters, dem gleich er ist, wie die besiegten
Feinde zu Boden er tritt und mit Feuer vertilgt die Bestürzten.

¹⁹⁾ Vergl. über diese Verhältnisse das Biblische Handwörterbuch von G. B. Winer unter den betreffenden Artikeln.

²⁰⁾ Vergl. Sonette 1., 9., 47. und 48. der Ausgabe von 1663.

Gedani. Cal. Jan. 1858.